



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

In Tit. XIII. De Eo, Qui Cognovit Consanguineam Uxoris Suæ Vel Sponsæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

4. *Matrimonium an rectè contrahatur inter patrem & filiam adoptatam*

**H**Oc Tit prohibetur matrimonium inter filiam adoptatam & filium naturalem adoptantis, eò quòd loco fratris & sororis libi invicem sint. \* Igitur inter eos cognatio est, quæ legalis dicitur, propter adoptionem, quæ à legibus civilibus inventa & introducta est, *§ sed si qua Instit. De nupt. & in l. Per adoptionem 17. D. De ritu nupt.* hoc verò Titulo nostro recepta & comprobata. Ad eò quòd & hæc cognatio hoc jure nostro non solum matrimonium impediatur contrahendum, sed & contractum dirimat. Id enim aperte indicat textus noster, in verbis, *Nuptia consistere non possunt.*

2. Intelligitur autem hæc cognatio durare, quamdiu durat adoptio, hoc est, quamdiu manet in potestate ejus, à quo est adoptatus in filium vel filiam, nepotem vel neptem. Ceterum si ab eo emancipatus fuerit, vel aliis modis exierit è potestate patris adoptivi, *de quib. sub tit. Inst. Quib. mod. jus pat. potest. sol. non impeditur filius naturalis sororem adoptatam in uxorem ducere,* cum jam soror esse desierit, *text. hic. à contrario sensu, in verbis. quamdiu durat adoptio, & d. § sed si qua, & in d. l. Per adoptionem,* quasi sublata causà cesset effectus, *l. Cum cessante 60 sup. De appellat.*

3. Quæ utique vera sunt in arrogatione, quæ adoptionis species est, cum scilicet quis sui juris ab alio adoptatur; nam hic transit in potestatem adoptantis. Sed controversum est, an idem juris sit in adoptato, qui non transit in potestatem adoptantis, ut est filius, vel filia familias, qui quæve à patre suo alteri extraneo datur in adoptionem, *l. penult. C. De adoptio. & § sed hodie Instit. eod.* Quod

putat Panorm. *hic* & communiter Dd. teste Did. Covarr. *in lib. IV. Decretal. p. 2 c. 6. §. 5. num. 2.* Contra verò rectius censent Innocent. & Domin. Soto *in IV. Sententiar. dist. 42. quest. 2. art. 1. §. unica hic, vers. quale.* Etenim si potestas patria est causa, ne inter filium naturalem & filiam adoptatam possit consistere matrimonium, *ut hic, juncto d. § sed si qua,* non video, cur cum ea, quæ in potestate non est, non possit consistere matrimonium. Quæ ratione nec inter illegitimum filium & filiam adoptivam prohibetur matrimonium, ex sententia ejusdem Innoc. *hic.*

4. Sed an matrimonium rectè contrahatur inter patrem & filiam adoptatam? Minimè, ne quidem inter utriusque ascendentes & descendentes, neque inter adoptatum & adoptantis uxorem, & inter uxorem adoptati & adoptantem, etiam dissoluta adoptione: quia parentum & liberorum loco sunt, *can. Ita diligere xxx. quasi 3. §. ergo Instit. De nupt. & l. Adoptivus. 4. D. De ritu nupt.* Navarr. *in Manuali c. 22. num. 44.* Et quamvis hæc non tam aperte probentur jure Canonico, quod in rebus matrimonialibus sequi solemus, *c. penult. & ult. inf. De secund. nupt.* tamen satis constat ex ratione, *d. can. Ita diligere.* Et hac in re stare nos debere legibus civilibus, quæ inter prædictos matrimonium non admittunt. Vocat enim venerandas leges Romanas, quæ inter naturales & adoptivos filios matrimonium prohibent. Non tamen idem dicendum est, quoad alias leges Civiles, quæ de matrimonio disponunt, veluti inter pupillam & tutorem, *tit. C. De interd. matrim. inter pup. & similes leges,* quæ idcirco inter Christianos non obtineant, quod à jure Canonum non sint approbatæ & receptæ. Panorm. *hic ad Rubr.*

IN TIT. XIII. DE EO, QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUÆ VEL SPONSÆ.

SUMMARIA.

1. *Consanguinei & affines qui dicantur.*
2. *Affinitas contracta ex copula cum consanguinea uxoris quid operetur.*

**H**Oc Titulo & sequenti agitur de cognatione naturali, quæ oritur inter cognatos & affines. Cognati sive consanguinei dicuntur, qui ejusdem sanguinis communione in-

ter se conjuncti sunt. Affines verò, qui ratione concubitus cum consanguineo vel consanguinea sua, uti infra Tit proximo latius explicabitur.

Igitur hoc Titulo disputatur, quid juris sit, si quis cognatam uxoris vel sponsæ suæ cognoverit. Ut autem summam rem totam comprehendam, affinitas contracta ex copula cum consanguinea uxoris meæ non dirimit matrimonium ante contractum, sed sponsalia. Interim hæc copula efficit quo ad conjuges, ut vir nò possit petere debitum

¶ ¶ ¶

CON-

conjugale ab uxore sua, propter affinitatem subsecutam, nec post mortem uxoris suæ aliud matrimonium contrahere; idque in pœnam hujus incestus. Intellige de ea consanguinea, quæ in

quarto consanguinitatis gradu uxori conjuncta est. Nam ultra affinitas non porrigitur, c. *Non debet & ibi dicam latius inf. De conjug. & affinit.*

In Cap. i. junctis cap. 4. 6. 10. & 11.

SUMMARI A.

1. Affinitas ex concubitu cum filiastra inter quos impedit contrahi matrimonium
2. Incestus est impedimentum impediens.
3. Incestum ignoranter committens non prohibetur contrahere.

**S**I quis (inquit cap. i.) cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam unquam potest habere uxorem. Per filiastram intelligit rextus priuignam, id est, filiam uxoris ex alio viro suscipiam, can. *De hu xxx quæst. 1.* Ratio hujus est affinitas, quæ ex concubitu cum filiastram nata est inter virum & uxorem, quæ debitum ab uxore tamquam ab affine prohibet petere, text. *hic & in c. 6 & 10. inf. eod.* Additur in viro quoddam is, mortuâ uxore suâ aliud matrimonium contrahere non possit, non tantum cum filiastra sua, sed nec cum quavis alia muliere, per *aut. c. xxi.* Idem constitutum est in eo, qui novercam suam vel sororem uxoris suæ cognovit, can. *Concubuit cum c. seq. xxxi. quæst. 7.* Hujus ratio est enormitas criminis incestus, quod committitur inter cognatos & affines, can. *De incestu, can. Nec eam xxx. quæst. 3. l. Sororis 39. D. De ritu nups. & l. Si adulterium 38. D. Ad l. lul. De adult.* Sed & ea-

dem pœna statuta est in ipsam filiastram, aliosque incestuosos, per hunc text. in c. 1. in fine & in can. *Quadam, cum quinque seq. xxxi. quæst. 7.*

Existimat tamen Glossa ad hoc c. 1. licet incestuosi matrimonium contrahere non possint, valere tamen matrimonium, si contractum fuerit, idem Præpos. & Host. *hic & confirmat text. in c. 4. inf. eod.* Quofit, ut incestus sit tantummodò impedimentum matrimonium, ut loquimur, impediens, non autem contractum dirimens. Vide latius Navarr. in *Manuali c. 22. num. 74 & 75.* Quæ profectò obtineat, etiam si vir cum uxore suâ matrimonium nondum consummaverit, c. 6. *inf. eod.* Item licet vir post mortem uxoris suæ incestum admiserit, c. 4. *inf. eod.*

Loquimur autem de viro, qui prudens & sciens incestum commisit; secus, si per ignorantiam, veluti si eum sorore conjugis, vel cum alia consanguinea, quam putabat esse uxorem suam, per text. in can. *In lectum xxx. v. quæst. 1.* Et hæc ignorantia per juramentum probanda est, d. can. *In lectum.* Cum enim delicta æstimentur ex animo & proposito delinquentis, c. *Cum voluntate 54. in pr. inf. De sent. excommunicat. & l. Qui injuria 55. in pr. D. De furtis, meritò ignorantia excusationem meretur, cap. 2. sup. De cognat. spiritus.*

In Cap. Veniens 2.

SUMMARI A.

1. Matrimonium legitimum propter affinitatem supervenientem non dissolvitur.
2. Secus sponsalia de futuro.

**M**ATRIMONIUM etiam legitime contractum, propter affinitatem supervenientem (quæ & per illicitum concubitum contrahitur, c. 6. & c. 10. *inf. eod.*) non retractatur, d. c. 6. 10. & 11. *hoc eod. tit.* † Secus tamen est in sponsalibus, quæ de futuro appellamus, quæ per affinitatem subsequenter ipso jure dissolvuntur, *text.*

*hic.* Cum enim sponsus affinis fiat sponsæ propter commixtionem corporum cum ipsius consanguinea, & sic affinitas inter eos oriatur, quæ matrimonium non admittit, ut *inf. tit. prox. latius dicitur.* necesse est, sponsalia, quæ futuri matrimonii causa contrahuntur, ipso jure irritentur, l. *Oratio 16. D. De sponsalib.*

Ceterum difficultas est in fine textus nostri, quo sensu exaudienda sint hæc verba: *Ceterum si sponsam cognovit, antequam matrem, vel post, nunquam eam vel aliam potest accipere uxorem.* Miram videtur, quoddam, cum per concubitum sponsi cum sponsa transeant sponsalia in matrimonium, ubi ante-

matrem eam cognovit, *c. Is qui fidem 30. sup. De sponsal.* non possit eandem sponsam accipere, id est, retinere in uxorem: si quidem, ut ante diximus, propter affinitatem supervenientem matrimonium non dissolvitur. Sed respondetur, prædictorum verborum hanc esse sententiam, ut, si cognoverit filiam prius quam matrem, in uxorem accipere matrem non possit, propter affinitatem: neque eandem filiam potest accipere uxorem, quantum attinet ad exactionem debiti conjugalis, quia illud amisit sponsus cognoscendo matrem. Interim verè constat & perseverat inter ipsos matrimonium. *Butr. & Panorm. hinc.* Sed quod additur, vel aliam non poterit accipere

uxorem; hoc ideo, propter incestum cum matre admissum: cuius hæc pœna est, quòd incestuosus prohibeatur in posterum contrahere matrimonium, sicut supra diximus *ad cap. 1.* Incestuosus verò uxor diligenter moneri & induci iubetur, ut continentiam servet, hoc est, à marito debitum non exigat, ne videatur ab affine exigere. Si tamen induci non potest, uxori relinquitur potestas petendi debitum, quod maritus exactus denegare non poterit. Nec enim uxor innocens iure suo privanda est, *c. 6. pen. & ult. inf. eod.* Neque factum alterius alteri nocere debet, *l. Non debet alteri D. De R. L.*

## In Cap. De illo 3. &amp; c. Super eo 5.

## SUMMARI A.

1. Affinitatis impedimentum quomodo probandum.
2. Confessione in iure facta quando nihil amplius queri dicatur.

**E**X hoc Cap. discimus, matrimonium non ideo dissolvi oportere, quòd frater uxorem fratris sui ante contractum matrimonium asserat se cognovisse. Allegat hic igitur frater impedimentum affinitatis, quod & ex illicito concubitu nascitur, *c. 4. c. pen. & ult. hoc tit.* cum non minus illi, qui illicitè coeunt, unum corpus fiant, quam qui licitè contracto matrimonio, *can. In eo xxxii. quest. 4. & i. ad Corinth. 6. cap.* Verum meritò rejecta est hoc textu nostro assertio fratris: si quidem hoc iure non sufficit nuda assertio, sed probatione opus est. Ei enim incumbit probatio, qui dicit, non qui negat, *l. 2. D. De probationib.*

Sed statuamus maritum & uxorem idem asserere, quòd frater mariti. Videtur quidem primo aspectu tunc matrimonium dirimendum esse, cum post confessionem in iure, id est, in iudicio factam, nihil amplius queratur, sed confessi pro iudicatis habeantur, *l. Post rem 56. D. De re iud. junct. l. unica C. De confess.* Sed & hoc casu contra responsum à Cælestino III. *in cap. Super eo 5. hoc tit.* quòd nec ex huiusmodi confessione conjugum matrimonium dissolvi debeat: ne hæc ratione via aperiat dissolvendi matrimonium, forè inter

se colludentibus marito & uxore, *facit text. elegans in l. Non nudus 4. C. De probat.* Quod & adeò obtinere cenlet Cælestinus, etiam si rumor vicinæ id ipsum confirmet. Nam rumor plerumque incerto auctore provenit, & dictum unius facile sequitur multitudo, ut eleganter inquit textus *in r. Cum in juvenute 12. inf. De purgat. canon.* ideoque ad hanc affinitatem probandam idoneis testibus opus est, aut quòd ea notoria sive manifesta sit: nam manifesta non indigent probatione, *can. Manifesta & can. De manifesta 11. quest. 1. c. Quoniam sup. De filiis presbyter cap. Tua nos sup. De cohabit. Cleric.*

Non obstat, quòd post confessionem in iure factam nihil queratur amplius, *d. l. Post rem*, quia id verum est in iis, quæ ex confessione partium pendent. At matrimonii dissolutio non dependet ab hominibus, sed à Deo: quos enim Deus conjunxit, homo separare non potest, *can. Quos Deus xxxii. quest. 1.* Quà ratione fit, ut etiam sententia pro vel contra matrimonium lata non traheatur in rem iudicatam, *c. Lator 7. & ibi latius inf. Qui filii sunt legit.*

Ubi verò de matrimonio contrahendo agitur, vel unius dictum, vel fama loci sufficit, ut propter consanguinitatem interdicitur matrimonium, *per text. in cap. Præterea 11. sup. De sponsal. & in c. 1. inf. tit. prox.* Idque ad vitandum periculum, quod forè subesse posset, si tamquam consanguinei vel affines inter se contraherent & quia res modici præiudicii est. *Panorm. hinc ad cap. 2.*

IN TIT.